



AB  
138654



Nº 4097 \*

4031

DE RE ORATO.  
RIA, ET RECTA ELO-  
QVENDI RATIONE,  
SERMO:

*Vniuersam Eloquentia descriptionem cōtinens,  
pro intelligenda eius vi & dignitate &  
usu, in communi vita necessario.*

M. Balthasar Leutingero,  
publicè proponente in Academia Fran-  
cofordiana ad Viadrum.



15

89.

*Typis exscrispsit Andreas Eichorn.*

СТАРОЕ СЛОВЯНСКОЕ  
ПОДАТОЧНОЕ ПОСЛАНИЕ  
КОГДА И ПОКУПАЮЩИ  
БЫЛИ  
СТАРОЕ СЛОВЯНСКОЕ  
ПОДАТОЧНОЕ ПОСЛАНИЕ  
КОГДА И ПОКУПАЮЩИ  
БЫЛИ

L 39

CELEBRIVM ACAD E-  
MIARVM LIPSENSIS ET  
VVitebergensis, Magnifico, Reverendo & Cla-  
rissimo Senatu, D D. Rectoribus, ceterisq; Doctoribus & Ma-  
gistris omnium facultatum Professoribus, Viris doctrinae  
sapientia, virtute & dignitate &c. præstante  
tissimis, S. P. D.

**R**odest in omnibus disciplinis, præfor-  
matam habere delineationē eorum, quæ  
sub aliqua religione certarum præceptio-  
num proponuntur dissentib⁹, ut scia-  
tur, quibus príncipiorum terminis cir-  
cumscripta, & ad quos fontes primarios  
reducenda sit omnis de vnaquaq; re artis constitutio.  
Hoc sine & antea libellos quosdam edidi, profuturos, ut  
spero, ijs, qui ad veram & solidam tam sanioris Philoso-  
phiae, quam S. Theologiae scientiam contendunt. Cumq;  
animaduerterem in omni genere doctrinarum pluri-  
mū valere, ex eoq; potissimum pendere Eloquentiae  
studium, coepi & hoc paulo diligentius euoluere, & in-  
quirere, quibus in rebus vera eloquendi ratio consis-  
tet, quaue ratione commode absolui posset. Eam cogi-  
tationem ordine definitiuo persequens, analysi adhibita  
Dialectica, visus mihi sum, brevi compendio perstrin-  
gere prop̄ omnia, quæ sub ambitu & complexu totius  
artis Oratoriae contineri viderentur, nec dubitabam,  
cognita hac hypotyposi, de reliqua præceptorum turba,  
quæ hinc inde in varijs autorum voluminibus prescri-  
pta habentur, felicius posse iudicari, ad quæ si accesseret

A 2.

visus



vsus & exercitatio frequens, nemo equidem meo erit iudicio, qui non multum in Eloquentiae studio proficisse videri possit & debeat.

De Patrono cogitans, cuius tutelæ hoc quantumuis leuidense munusculum committerem, occurrit Excellentiarum & Dignitatum vestrarum amplitudo. Primum, ob celebratam in Academijs vestrīs, studiosæ iuuentutis frequentiam, quæ Excellentiarum & Dignitatum V. authoritate permota, scripto huic tanto foret æquior, eiusq; appetentior: Tum verò propter officinā studiorum illustrem & clarissimam, in qua magna fertilitate plantantur & excoluntur omnia genera artium & doctrinarum, ex quibus velut ē prædiuīte fonte promanat, omnis bene dicendi vis & ratio. Et postremo, vt hac ratione ostendam, malle me eruditorum potius, quam aliorum temerē & malignè de meis scriptis iudicantium subire iudicia & censuras. Itaq; vt vistro me patrocinio tueamini, hosq; meos conatus promouere dignemini, qua possum obseruantia, à Vestrīs Excellentijs peto atq; officiose contendō.

*Excellentiarum & Dignitatum  
Vestrarum obseruantissimus,*

*M. Balthasar Leutinger.*

# DE RE ORA TORIA ET RECTA ELO

quendi ratione Sermo, vniuersam Eloquen-  
tiæ descriptionem continens.

I quid usquam est in rerum natura;  
diuinitus à D E O Opt. Max. concessum  
hominibus, quodq; in hac ciuili & tem-  
poranea hominum societate adysum hu-  
manæ vitæ recte instituendæ & guber-  
nandæ ut maximè necessarium arbitra-  
musr: nullo modo postremo loco ponens  
da censebitur, illa cum orationis vis: tūm  
artificiosa de rebus dicendi ratio, quam vocamus Eloquentiam:  
Cui dūm paramus in præsentia suscipere patrocinium & de-  
fensionem qualemcunq; pro ingenij nostri viribus, exiguis illis,  
tantoq; operi imparibus, quid mirum, si vel rei magnitudine, vel  
metu iudiciorum de nobis atq; hisce nostris studijs diuersissi-  
morum, præpediti, languidius ad perorandum accedamus, quā  
posse concedere videtur & locus iste, in quo sumus, & materiæ  
amplitudo, doctrinæq; maiestas, quam nunc tractamus.

Magnum hoc est Domini & Studiosi & auditores charissi-  
mi, magnum inquam, est & propè immensum, quod à me  
vestra iam expectatione requiritis, proq; huius loci dignitate, mu-  
nerisq; quo fungar, grauitate, vestro quodam iure expediendū  
relinquitis, vt nisi virtus Altissimi, pro voto animorum nostro-  
rum ardentissimo, hunc conatum direxerit, mentesq; vestras &  
aures ad eum inclinauerit fauorem, qui bonis omnibus & cor-  
datis conuenit, quemq; vt hactenus semper: ita nunc in hoc ne-  
gotio dicendi grauissimo, de vobis vniuersis & singulis mihi  
polliceri debedo, difficulter videam, quomodo in hac infirma-  
te mea, id obtinere queam, quod alias etiam fortunatissimo, &



ad hanc rem bonis omnibus instructissimo, vix ut consequatur, à Deo datum esse, meminimus. Solliciti sumus, ubi cunq; de te aliqua sermo, apud alios est instituendus, & de Orationis euentu angimur ob casus varios, qui accidere possunt in illa ingeniorum, & in his simul iudiciorum varietate, quæ non æquè cum voto oratoris vbiq; correspondet. Neq; arbitror, quenquam ea dicendi facultate præditum esse, vt in cœtu hominum publico dicturus, hanc à se curam alienam esse existimat, dummodò ex eo, quod in dicendo sibi propositum habet, quomodò tām sibi ipsi, quām auditorum expectationi satisfactum velit, prouidenter in omnibus studuerit. Difficile hoc plerisq; videtur, quod sit opus omnium humanorum operum longè maximum, magisq; admirandum quām imitandū: tūm potissimum vbi ab oris elegantia, pectoris sapientia non separata fuerit: Sed quanto magis conuenit, vt in hoc Eruditōrum conuentu, hanc de nobis curam & sollicititudinem attestemur, eandemq; difficultatem ingenuo metu extimescamus, præsertim in hoc tām ample dicendi genere, & quod sua eminētia reliquos dicendi gradus omnes transscendere videtur: In quo sane genere summio cum versari oportebat, qui ipsam artem oratoriam, quæ suo ambitu reliqua dicendi genera comprehendit, suoq; magisterio dirigit, & suam vt singula habeant profectionem, efficit, conuenienti orationis habitu comprehendere & metiri velit, & ita exprimere verbis, vt quæ eius sit vis & natura, quæ bonitas, quæq; usus excellentia & amplitudo in omni vita, plenissimè perspici & ab omnibus, qui non prorsus alieni sunt ab omni humanitate, vt maximum bonum amplectendum, agnosci & percipi ac dijudicari queat. Quod quia supra artis conditionem positum quodammodo videtur, cum in se caussam habeat artis & eorum, quæ secundum artem fieri debent: Maioris certè erit Excellentiae & virtutis, quām ut intrà & iuxta vulgaria Rhetorū præcepta constringi ac pertractando dirigi queat. Quamuis enim alias non obstat, quin codena



## DESCRIPTIO.

modem instrumento idem per quod efficitur, elaboratissimum  
habeatur: Tamen præterquam quod singularem opificis indu-  
strialia requirit, absq; controversia multò maiore scientia & pru-  
dentia opus habet is, qui rationem totius artificij animo perlustrare,  
quam qui nuda saltē artificum decreta imitari, ijsque  
eū regulis quibusdam in operibus conficiendis, vt voluerit.  
Itaq; cūm non de simplici aliquo dicendi genere, neq; de per-  
mulgatis artis Rhetoricæ præceptis, nobis sit sermo: Sed ad  
ipsam eloquentiam atq; adeò oratorie disciplinæ artem ascen-  
damus, quæ suo quasi imperio atq; arbitrio omnes Rhetorum  
Canones & decreta subiecta habet, ex quibus nimis artis  
Rheticæ constitutio deducenda est: Facile animaduertimus  
esse aliquid sublimius & diuinius, quod hic requiritur ad ex-  
primendam eam oratorie facultatis vim, quam sibi solium in  
reconditis, ad tuendam suam maiestatem referuat, vt, qui hanc  
ingenio metiri & verbis exprimere velit, Ei omnino videatur  
necessarium esse, vt non ipsam modò Elocutionis vim, apta  
verborum conuenientia, exquisita sermonis gravitate, atq; adeò  
totius orationis decenti magnificentia æquabiliter exprimat, &  
quadam cum actionis dignitate recte ad usum transferat: Sed  
serum quoq; plurimarum, quæ in natura sunt & fieri possunt,  
& in quolibet seu priuato seu publico, adeoq; communi homi-  
num usu versantur, siue humana, siue diuina, siue politica, siue  
Ecclesiæ propria sint, & ad veræ religionis & pietatis exercitia  
diuinitùs patefacta, & sermone explicabilia existunt, eorum, in-  
quam, in vniuerso genere penitissimam perspectissimamq; ha-  
beat cognitionem, ne forte sit, quod ignorari queat, de virtute,  
qua ipsa pro se maxime excellit, quamq; communicare & ac-  
commodare debet rebus vniuersis & singulis, quæ dicenda ve-  
niunt, vt de his pro statu negotij vel persuasio fiat probabilis:  
vel ob veritatis immobilem constantiam, firma & indubitata  
cognitio. Atq; hæc dicendi facultas, vt absolutissimœ inte-  
gritatis eruditissimæ imaginem quandam præ se fert, atq; id-  
circe



## ELOQVENTIAE

circò vix demùm in Oratore perfecto locum sibi vendicet: Ita non concedendum est, vt illam laudem, quam ex se gignit oratori perfectam, pleno iure ad se transferat, is, qui non eiusdem habitu præditus est perfecto, qui vt ratione perfectionis unus est numero: ita non vni certæ ac determinatae rei solum, sed communiter omnibus rebus, quæ sermonis artificio tractandæ sunt, suo subseruit ministerio, cuius sanè Facultatis particeps haud quisquam fuerit, nisi qui præclaris naturæ dotibus instruatus, iam ab ineunte ætate in luce Reipub. & ciuili hominum congressu ac consuetudine, non ea solum, quæ ad linguae, oris, vultus, habitus mentis ac gestuum formationem pertinent, diligenti obseruatione & imitatione addiscendo didicerit: Verum etiam rerum ac negotiorum humanorum, casuumq;, qui in his accidere possunt, vim & momenta, multiplici experientia, vario vsu, assida exercitatione, quam maximè percognitam habuerit: Hominum quoq; mores, naturas, motusq; animalium reconditos, per diuersas ætates & fortunas, habitudinesq; ita perspexerit, & in omni genere artium, disciplinarum & doctrinarum ita versatus, vt quantum prudentiae & sapientiae ex cognitione Iuris, Legum, actionum ciuilium, historiarum, antiquitatis, naturæq; totius, atq; adeò ex omni diuinarum & humanarum rerum scientia comparari potest, à summis ingenij, acerrimis studijs, optima doctrina & maximo vsu, eorum in vniuerso, notitia non planè destituatur.

Horum omnium, quam parua suppellex in officina mentis meæ resideat & deposita sit, quamq; longissimè absim ab huiusmodi laudis perfectione, bene mihi & multò rectius conscient sum, quam quisquam alias, qui iniquius forsitan de eo iudicare aut suspicari potest: Ac nisi voluptatem, quam specie honestatis atq; utilitatis, primo saltem intuitu & aggressu, ex hoc præclarissimo, multisq; nominibus apud omnes præstantioris naturæ homines celebratissimo studio, mihi percepisse videor, magnitudini difficultatum, quarum ex omni parte referissimum

est.

## DESCRIPTIO.

est, anteponerem: Authoritatem quoq; magnorum & sapientissimorum virorum, studium hoc nostrum graui consilio approbantium, alijs quibuslibet impedimentis, quovis modò aduersantibus, præferendum existimarem, haud minima forsitan daretur occasio cedendi loco, & permittendi, ut si qua gloria & dignitas hinc in aliqua else posset expectatione, ad eum, qui meiore iure eius rationem habere posset, tota transferatur. Sed meam intra pelliculam, quomodò me continere debeam, eti non ignoro, & hæc prouincia, quam subeo usq; adeò sit grauis, vt multo excessu vires meas infra se relinquit, num propterea desperata animi remissione ab opere proposito vacandum, aut etiam omnino desistendum? non opinor: neq; enim quenquam reperiri vñquam posse puto, qui subito extitisset Orator, vel qui spatio vnius mensis, aut etiam vnius & alterius anni factus esset Rhetor, qualem maximè optamus: Præterea vix tantæ difficultatis disciplina vñquam hominibus proposita est, vt natura non prossus monstruosissime repugnante, nihil in ea iusta laboris continuatione sit effectum. Neq; in ijs, quæ vel natura vel fortuna largiri solet hominibus, ita plane victus sum, vt itidem in ijs rebus, quæ hominum industria & labore parati possunt, æquo & facili animo vinci me paterer. Quapropter si quæ sunt incommoda, vt fateor multa & varia esse, quæ in me grauissima illa muneris functio nunc improbare, nunc desiderare potest, partim ob indecentiam oris & vocis & habitus: partim ob ingenij, eruditioris, exercitationisq; inopiam: Tamen hæc qualiacunq; fuerint, non ita me offendent, animumq; à præsenti conatu deterrebant, vt Oratoris Atheniensis Demosthenis exemplum scensus, multo maiori studio & vigilantia operam daturus sim, quomodò quæ vitiosa sunt, suam habeant emendationem; Quæ verò ita composita, vt studium, quod nunc sequor, id magis exornent & amplifcent, pari industria & sedulitate consequar.

Vt verò dubitationem istam, omnemq; animi diffidenti-

B

am, quam



## ELOQVENTIAE

am, quam mihi meæ imbecillitatis conscientia obijcit, eò facilius ex animo dimittam, & animorum vestrorum benevolentiam, quam mihi promittere videtur, vestra & frequentia numerosa, & auscultatio non odiosa, eò firmius retineam, ipsam eloquentiam, quam hactenus ut rem maximi momenti delineavi, vobis considerandam propono: Ad hanc potius oculos auresq; mentis vestræ nunc aduertite, vt quæ eius sit vis & dignitas, quæ, quantaq; in omni vita & communali hominum vnu necessitas, penitus plenissimeq; cognoscatur.

Quis igitur nunc censor adeò iniquus & importunus se nobis obtulerit, vt quam artem & scientiam vituperandam censet, cùdem ipse vtatur, ad arma in ipsam contraria exercenda? Quis adeò demens & indiscreto animo, vt quam omnes, quò magis ingenio & virtute excellunt, eò magis affectant & consequi student, hanc vt illiberali atq; inhonorificam solus æstimare ausit? Quis verò adeò inhumanus, & ab omni ciuilis viræ consuetudine remotus, vt, culis homines à natura omnes quodammodo sunt participes, eiusq; voluptate capiuntur maxima, nec minus in frequentissimo & necessario vnu partem eius aliquam, quotidie ad se transferunt, hanc à se tanquam alienam atq; inutilem, aut non magnopere necessariam arbitretur?

Enim uero latissimus est eloquentiæ campus & ambitus, si partes quarum capax est & species, in quas diuidua existit, atq; in se comprehendit, presiūs distictiusq; contemplamur. Etenim eloquentiæ propria sunt, non tantum cum apta quadam actionis grauitate, conformare orationem animis auditorum, vt quo velit eos impellat, & vnde velit, deducat, quod præstantium Oratorum est, & idcirco peculiarem quandam eloquentiæ speciem constituere videtur: Sed etiam efficere, vt oratio sit copiosa, ornata, & aptis verborum & sententiarum luminaibus illustrata: quod visitatè facere solet communis Rhetorum turba, & qui arte magis quam natura excellunt: Qua parte dirimi videtur,



## DESCRIPTIO.

videtur, non tantum à priori, sed ab ea quoq; eloquentiæ specie, quæ magis perspicuitatem in dicendo amat, & lectatur, quām reliqua ornamenta: facitq; vt iusta membrorum & partium dispositione ac collocatione, oratio sit integra, perspicua, & explicata: Quod quoniam ab eruditis fieri potest, nullo adhibito flore & ornatu rhetorico, speciem quandam peculiarem constitutere videtur, differentem non modò à prioribus: sed etiam ab ea, quæ facit, vt oratio tantum sit propria, id est, verbis proprijs, notis & significantibus expressa: Estq; hæc quasi initium eloquentiæ in infimo gradu subsistens, & proinde communissima, quæ posita est in ipsa communi hominum consuetudine, vñsq; & natura magis comparatur in vernaculis, quām arte: Ut eloquentia secundum has partes & species, prout videbitur in toto atq; in perfectissimo suo statu consideratur, nihil aliud sit, quām facultas propriè, perspicuè, ornatè, & aptè dicensi, de re qualibet proposita.

Necesse enim est, omnes prædictas species conuenire in uno aliquo genere summo & perfectissimo, & quod ipsam eloquentiæ vim plenissimè æquet, perfectissimeq; absoluat, quām perfectionem quia non omnes consequuntur & consequi possunt, & tamen omni elocutionis facultate, qua sensa animi exprimere necesse habent, in vniuersum non carent, manifestum est, quod non modò pro diuersis habitibus inter se possint separari: verum etiam eorūdem habituum respectu, quatenus nimirūm, quilibet certam elocutionis vim, à qua suam eloquentiæ, habet denominationem, sibi vendicat, aliquo modo ad omnes homines ipsam eloquentiam extendi posse, quam & ipsi à natura expetunt, & amore naturali prosequuntur, & propterea quoq; eos turpissimè falli & quāsi vim inferre naturæ, qui propter abusum, cui omnes res quantumuis bonæ, præter virtutem, ob improbitatem hominum, expositæ sunt, ipsam dicensi artem & elegantiam, qualem dicimus eloquentiam ex communi societate & vitæ vñsu, tanquam superuacanciam ar-

B 2 tem, &



tem & tantummodo ostentatricem, fraudisq; ac deceptionis plenam exterminandam esse cauillantur. Verum de his vniuersis & singulis, vt planior & explicatior fiat declaratio, ea quæ naturam artis Oratoria nobis exhibent, altius inuestiganda & à primis initijs accuratius ordine euoluenda sunt, vt qualis quantiq; facienda sit, intimè & per omnes proprietates plenissimè constet. Primum igitur quibus initijs in naturam sit introducta, si queratur, multum per hoc dignitas eius illustratur: Alium enim authorem non agnoscit, nisi D E V M , qui ut omnis bonitatis ac sapientiae fons purissimus est: ita etiam virtutum & doctrinarum semina & prima quædam initia indidit hominibus, eo ipso, quod mente & ratione præditos esse voluit. Etenim mens humana & ratio in ipsa, vt similitudine quadam D E V M , eiusq; diuinam sapientiam repræsentat: Ita potentia continet omnes artes & scientias, quæ cum luce veritatis consentiunt & à ratione reguntur. Talis autem & merito esse dicitur eloquentia, quæ versatur circa orationem, quæ adeò cognata cum ratione existit, vt quemadmodum nomen appellatio exigunt præbet discrimen: ita re ipsa non multum discriminant, cum oratio nihil aliud sit, quam ipsius rationis imago quædam, foris expressa. Quod Græci voce λόγος signatè ostendunt, ea nimirum voce comprehendentes rationem & orationem, quinque; etiam tertium quoddam, quod inter hæc duo intercedit: idq; vel ratiocinationem vel cogitationem dixeris: Illa namq; tria inter se ita cohærent, vt niutio inter se suā naturā consequantur, & aliud sine alio non subsistat. Vbi enim mens actum rationis producit, ibi de necessitate infertur ratiocinatio seu cogitatio quædam, qua aliud ex alio colligimus & subducimus, quam postea excipit oratio, cogitationis interpres. Cæterum vt ratione nihil in homine præstantius: ita orationis expers propemodum nullius momenti censetur: Quo nomine dignitas eloquentiae, quæ absq; oratione consistere nequit, adhuc clarius se prodit. Quantum enim bonum



## D E S C R I P T I O.

bonum sit apta loquela & loquendi facultate esse præditum, iudicatur ex opposito: Et præter hoc non est ullum aliquid opus humanum, quod magis orniet hominem magisq; nobilitet. Per hoc namq; potissimum separatur & discernitur à cæteris animalium generibus multo magis, quam forma, vel alio opere quo quis extrinsecus facto: Siquidem & forma hominis extrinseca effingi potest, in quauis alia materia artificiali. Quæ portfo corporis & seusuum ratione ipsi accidunt, ea potest habere communia cum brutis. Adhæc multa videmus in brutis ipsis, opera quædam, ipsam quodammodo rationem imitantia, cuiusmodi sunt: mirabilis quædam vis dignoscendi inter bonum & malum, arbitrandi de nocuuo & utili, & naturæ suæ commodo & incommodo: Indicium quoq; morum, licet crassius in quibusdam disciplinæ capaçibus, soleftia item in gignenda & edicanda sobole, querendo vieti, nidiis & cubilibus extrenidis, alijsq; operibus mirabilibus efficiendis, quæ, quoniam circa delectum de rebus non fiunt, & propterea rationis & disciplinæ non penitus expertia esse aut videri possunt: Tamen, quia sermone carent, inter rationalia locum non habent. Muti homines, licet mente & ratione, quantum ad substantiam, integra vtuntur: Attamen ob hunc naturæ defectum, magnam eiusdem patiuntur iacturam, per hoc, quod omnium disciplinarum capaces esse nequeant, quandoquidem illis plerunque accidat, ut simul destituantur sensu auditus, qui in sermonem tanquam in obiectum proprium fertur. Disciplinæ autem, cum non nisi per orationem tractari & propagari queant, consequens est, eos qui hoc sensi auditus destituuntur, à disciplinis, carumq; vsu in maxima parte esse remotos, ijsq; principijs & notionib; vniuersalibus, quas disciplinæ tractant, plurimum destitui. Nam et si per reliquos sensus subministrantur, quibus mens de rerum cognitione instrui potest: Tamen illa cognitione manet obscurior & imperfectior, quam illa, quæ sermone per auditum transfertur ad mentem. Neq; enim tantum



efficitur signis & demonstrationibus , quantum sermone, qui  
res ipsas proprijs verbis significanter exprimit & declarat , vt  
res non solum qualisque; sit in suo ordine : sed etiam vt se ad  
alia habet, recte cognosci queat. Nam quæ per cætera sen-  
suum organa simplici ratione offeruntur , eadem in oratione  
per auditum connexè proponuntur : Et quæ per reliqua singu-  
lari ostensione exhibentur , eadem sermo in animo loquentis,  
qui communia versat, bene elaboratus, cum vniuersali ratione  
auditoris cogitationi censenda præbet. Atq; hac in re D E S  
sapientiam & bonitatem in primis demirari conuenit, quod  
non tantum organa huic spirantis animæ actioni conuenien-  
tia, vt cætera omnia in homine sapientissimè efficta & formata  
esse voluerit: verum etiam hæc ipsa ad certam loquendi normā  
& ita mirabiliter astricta esse, vt sub varia & flexibili dictio-  
num & vocum conformatione & applicatione , ipsis rebus,  
quarum referunt sensum & intellectum, proprie appositeque  
congrueret: Quæ quidem loquendi norma in primo homine,  
vna cum reliquarum rerum cognitione fuit perfectissima , sci-  
uit enim , quomodo vnaquæq; res propriissima appellatione  
esset notanda, vnde & cuiq; rei nomen imposuit quam maximè  
congruum , per quod natura eius & proprietas proximè  
imò propriissime significaretur, quemadmodum eius linguae,  
qua tum vsus est & nos adhuc vtimur, Hebreæ nimirum idio-  
ma proprium satis evidenter id ostendit. Quæ tametsi apud  
primæuos homines sola in vsu fuit: Tamen facta linguarum  
confusione, de qua nobis sacræ literæ fidem faciunt, ab ea po-  
stea aliarum linguarum seminaria deriuari cœperunt, Quæ etsi  
in omnes terrarum partes hinc inde variè dispersæ sunt, inque  
varias formas, propeq; innumerabiles dispergitæ, multisq; mo-  
dis corruptæ existant, ob varias gentium & populorum per-  
mutationes commixtionesq;, siquidem hoc fieri vulgo vide-  
mus, vt vbi mixta hominum multitudo : ibi quoq; linguarum  
mixtio & confusio sequatur: Tamen clementissimus D E Y S ,  
in ipsa



## DESCRIP TIO.

II

in ipsa transformatione, obliteracione, corruptione & mutilatione linguarum, non ita lingua<sup>e</sup> vsum penitus aboleuit & antiquauit, vt nihilominus in unaquaq; ferè gente conseruaret certam sermonis formam & normam, ad quam omnes res, omniaque hominum consilia & cogitata exprimi & cognosci, & cum alijs communicari, inq; ipsis aliorum mentibus nunc insinuari, nunc altius insigi possent verborum committatione: Veruntamen quotquot habentur lingua<sup>e</sup>, inter eas maximè dominari videntur, Hebreæ tanquam caput & seminarium aliarū, Græca item & Latina, quibus addi potest nostra Germanica, quæ omnes adhuc purissimæ & in purissimo vsu extant, maioriq; studio frequentantur & excoluntur ab exteris nationibus, eo ipso, quòd omnes artes & scientiæ, aliæq; res tam sacrae, quam prophanae ad communem & publicam hominum utilitatem spectantes, horum ministerio potissimum sint tractatae, illustratae & ad posteritatem transmissæ, vnde cùm per amplum & latissimum vsum habeant in orbe terrarum, eloquentia, quæ exactissimam dicendi rationem exigit, eas quoq; præcipue sibi familiares esse cupit, ut potè in quibus maior sermonis & distinctionis puritas ac congruentia monstretur, quam in reliquis, quæ non ita regulis Grammaticis & politiori loquendi vsu commensuratae horridiores comptioresq; existunt.

PRIMA igitur, eaq; simplicissima eloquentia vis posita est in sermonis genere simplici, & ut vocant, Grammatico, cuius proprium est, verbis proprijs, vstatis, & significantibus certa lege ac ratione inter se iunctis, orationem reddere genuinā, congruam & emendatam. Hoc enim triplici modo Grammatica inseruire videtur eloquentia studio: Quo nomine dignitas huius non parùm augetur, cùm tantam suæ dominatio- ni subiectam habeat artem, quæ sola plus utilitatis & necessitatis in omni genere studiorum importet, quam ut brevibus verbis hic doceri queat, aut necesse sit. Etsi vero leue & nullius

Primus Elo-  
quentia gra-  
duis Gramma-  
ticus, in ser-  
moni proprio-  
tate.

propè



propè momenti negocium esse videtur oratori perito & exercitato, componere sermonem ad artificium, quod præceptis Grammaticorum demonstratur, cùm illud vel vltro affluat & sponte sua sese offerat ijs, qui mediocri vsu & assuetatione eius familiaritatem sibi contraxerint; Tamen tyronibus non propterè minori studio cognoscenda est, cùm facilitas illa non locum habeat, nisi forte in ijs linguis, quæ patro sermone vñ cum lacte materno instillantur & assuetudine firmantur. In reliquis verò extraneis, quæq; ex scriptis aliorum libris solummodo addiscendæ sunt, manifestum est, neminem, quantumvis præstantissimum, citra hæc prima initia & tyrocinij rudimenta, ad illam eloquentiæ laudem vñquam aspirare potuisse. Et quomodo orationis exædificatio vel minima in parte fieri ac constare potest, sublato aut non bene iacto fundamento, hoc est, non cognitis rerum notis, harumq; modificationibus, ex quibus nimurum constet, qualis sit vocum & dictionum facies naturalis, quæq; phrasium & locutionum genuina vis & originalis significantia? Est enim cuiq; lingua proprium quodam idioma & loquendi proprietas, quæ his ipsis quasi partib. constat & terminatur. Iam verò quis dubitat, sensum orationis, vt dubium, ambiguum, obscurum, & intricatum non maximè periclitandum dari, si quæ significandi gratia, rebus adhibentur verba, ea vel temere & promiscue usurpata, à natura & proprietate sua defecerint, vel à communī loquendi consuetudine recesserint, vel si perperam expressa & mendose consignata fuerint, vel deniq; si legitimo constructionis ordine & dispositionis nexu, casuumq; & inflexionis nullo cum discrimine & delectu, connexa ac consociata fuerint? Quas remotas & difficultates in oratore minimè ferendas, posteaquam Grammatica expedit & amolitur, cui dubium, quin eius cognitio oratori futuro summopere sit necessaria, & proinde pars eloquentiæ perpetua & inseparabilis in quantum est habitus organicus, iudicandi de natura sermonis, rectam loquendi & scribendi



## DESCRIPTIO.

scribendi rationem, in omni eloquiorum & studiorum genere, monstrans ac dirigens. Prout inde ad quoddam orationis corpus integrum extruendum, requiritur non solùm apta verborum compositio & iunctura, quæ certa serie membrorum & periodorum, Grammaticam sententiam exhibet, proprium & natum rei sensum aperiente: verum etiam idonea structura rerum, à quibus sermo, & ipsa sermonis compositio dependet, & quarum respectu oratio, vim quandam vitalem obtinet, usque adeò ut nisi res subsint, ordine per inuentionem & dispositiōnēm compositae ac distributae, ipsa orationis vita & substantia velut emortua expiret, totaq; compositionis forma, perinde ut corpus exanimatum collabatur. Altera igitur eloquentiae vis, qua maximè stabilitur, virumq; robur & incrementa sumit, circa rerum inuentionem & legitimam earum dispositionem occupata est, vi mentis nimirum *diaepitrix*, cuius informatrix *Secundus elo-*  
cūm sit Dialectica, iterum eloquentiae dignitas, quanta sit, cla-  
quentiae gra-  
rius conspicienda præbetur: Propterea quod imperio suo eam *dus Dialecti-*  
quog; artem subiectam habeat, quæ omnium aliarum artium *cus, in sermo-*  
quasi ductrix est & gubernatrix. Quemadmodum vero elo-*nis perspicui-*  
quentia non habet certam ac definitam aliquam regionem, in *tate*.  
qua vim suam exerceat: ita non ad unum genus causæ certum  
& definitum est alligata, cūm potius ad omnia sese extendat,  
quæ in ratione & oratione hominis versari, & ab ea dimensu-  
rari possunt. Vnde licet magna sit rerum diuersitas & infinita  
varietas, & aliæ in tempore sint positæ, varieq; intentur: Aliæ  
constantí tenore cædem maneant: Aliæ vero recondita obscu-  
ritate in occulto lateant: Aliæ principijs & causis notis se pro-  
dant: Quotquot tamen sunt oratione explicandæ, ita se ha-  
bent, ut in resolutione & compositione eorum, quæ ipsius rei,  
de qua dicendum est, naturam ostendunt ac demonstrant, par-  
tim propositiones relinquant ad concludendum præsentissi-  
mas, ex quibus necessariam & immotam veritatem *anob anti-*  
*neg*, ratiocinando addiscimus: Partim vero, quæ faciunt oratio-  
nem ar-

C



nem argumentosam & ad persuadendum accommodatam, propter verum probabile, quod inde infertur διάλεκτως. Et si vero à natura homines hanc habent facultatem, ut praevio lumine mentis quodammodo videant & scire possint, quomodo quæ experientia sensuum sunt comperta, ea per inductionem colligant, & ratiocinando componant, ut iudicium, ipsaque mentis actio in ijs contemplandis acquiescat, & plurimi eorum, ea ingenij dexteritate inueniantur, ut opera omnia, quæ Dialecticæ proposita sunt, exercitatione habituq; saltem, nulla de his ipsis arte percepta factitent, sagacitate & nativa ingenij solertia, qua, vt oculo mentis, in multis controversijs, argumentorum fontes & membrorum connexiones vident, & quomodo in rerum dijudicatione ad verum scopum sit collineandum, mira indagine animaduertunt perspicuntq; Attamen in donis ingenij distribuendis, quoniam natura non æquè propitia est omnibus, sit econtra, ut multi temerè, sineq; deleatu eadem efficiant, & in maximâ parte vis naturæ multò languidior & obtusior existat, quam vt absq; doctrina & præscripta methodo inuestigandis & discutiendis rerum naturis, restitudinem & dexteritatem sequantur, & absq; omni erroris precipitio, certam de ijs, firmamq; opinionem atq; scientiam consecrari queant. Ab vtraq; parte vt rectius docentium & dissentientium commodis consuleretur, homines sapientiores & diuinioris ingenij vi prædicti, tandem ex recte, seculue factorum discussione & accuratiore cauſarum obſeruatione, artem hanc diuinitus monstratam, paulatim inuenire, eiusq; vim & natram, certa præceptorum traditione, in viam rationemq; certam redigere cœperunt. Hac vtimur nunc ceu duce & magistra in dignoscenda de rebus omnibus veritate & refutanda falsitate, cum hanc habeat proprietatem, ut aptissime distinguat, nihil proprij omittat, nihil alieni admisceat, quarum virtutum efficacia id simul efficit, ut iudicium informet, ordinem instituat, inter se cohærentia iungat, pugnantia separet, ad quiduis inue-



## DESCRIPTIO.

inueniendum, disponendum, iudicandum & tractandum methodicam rationem monstrat. Quapropter, si quis eius usus uspiam fuerit in ullo aliquo genere disciplinæ, potissimum locum habebit in eloquentiæ studio. Ad quid enim prodest oratio cassa, inanis, & rerum vacua: imò etiam copia rerum & verborum multitudine abundans, si nullo compositionis ordine concinnata, nullam præ se tulerit perspicuitatem? Magna equidem virtus est sermonis proprietas, verum hæc, quoniam à rebus ipsis dependeat & sæpenumero ex intimis rerum visceribus deponenda sit, quomodo illam rectè consequi poterimus, rebus non prius cognitis, beneq; perspectis. Ad rerum porro cognitionem perfectam & solidam, quomodo peruenire possumus, si non iusto ordine & perspicua methodo explicatae fuerint, ut qualis sit natura & propria earum affectio, ipso velut oculorum aspectu notissimum fiat? Primo enim intuitu quælibet res cognoscenda sub obscura videtur, nec plane per omnia patent oculo mentis peruidenda. Nam etsi omnis veri principium & finis est mens ipsa: Tamen in corpore humano existens, propter essentiæ simplicitatem non percipit, neq; potest sese demittere in res perplexas, confusas, compositas, & materiae immersas, non interueniente *s'avois* & rationis discursu, cuius demum vi & energiâ, confuse percepta eousque versat, quoad sincerissimas & essentiæ suæ vernaculae species efficiat, & iuxta analysin Dialecticam unumquodq; quid & quale sit & cur ita sese habeat, inquirat, ac probet via ac ratione, quam habet re ipsa & natura sibi consentaneam. Hæc verò analysis Dialectica, qua ordine & perspicue res explicantur, nunc in singulis partibus, nunc in toto orationis corpore, & in omnibus membris, debita iunctura connexis, constituendis, locum habet, prout varietas rerum & diuersi negotiorum status id postulant, unoquoq; tamen in suo ordine & classe aptè distributo atq; disposito. Ordinis autem conditio talis est, ut inter paria non coalescat, neq; in infinitum assurgat, sed quodam



dispositionis principio, medio & fine, ceu terminis quibusdam, concludatur ac circumscribatur. Itaq; in omni, & maxime in longiori oratione attendendum est ad subiectum principale, & quod statum negotij principalem in se comprehendit, ex quo cætera omnia suam habeant dependentiam, & in eo quoq; omnia, quæ in oratione tractandum concurrunt, finiantur: Ad ipsum siquidem, velut ad caput & principium, reliorum omnium membrorum ac partium, nexus & ordinationem ac continuationem fieri, ordinis ratio depositit. Cumq; potestate contineat omnia, per quæ methodi vis est digerenda & in toto orationis contextu legitimo ordine explicanda, idcirco primo loco summam negotij certis principiorum terminis comprehensam & quadam syllogistica compositione delineatam, sibi proponit: Verum quoniam ob concisam breuitatem, veritas & cognitio rei plerisq; subobscura manet, & composita minus intellectui mentis obvia sint, rursus analysis. Dialectica eadem sibi resoluenda proponit, & modum ostendit, quomodo syllogismi compositio dissoluenda sit in partes propositionum, propositio in voces simplices, vocum verò simplicium natura & proprietas, vires, caussæ, effectiones, cognatioes, discrimina atq; dissidia, quomodo exactissimè inquirenda & discutienda. Atq; hoc modo omnia etiam minutissima suæ censuræ, ceu lydio lapidi subiiciens & examinans, rursus contraria via procedendo, per σώθεσιν componit & ordinaria dispositione tractat, quæ prius per analysin sunt inuenta: facitq; definiendo, dividendo, vera à falsis discernendo, posteriora per priora probando, ut omnium rerum explicatissimam habeamus cognitionem, iuxta triplicem ordinis progressum, quo in ordinarijs doctrinis, certa ratione ac via quadam artis, tractandis & explicandis vti solemus. Atq; hæc omnia, quoniam artis Dialecticæ opera sunt, quorum usus in omnibus artibus & disciplinis necessariò requiritur: Tantum abest, ut ab arte oratoria separari queat, vt nullo alio adminiculo magis indigere videatur:



tur: Cùm non modò caussa sit perspicuitatis, propter ordinem  
sed etiam neroos, vires, & robora orationi subministret.

Cæterum hæc, quæ hucusq; dicta sunt, necessariò requiri ad eloquentiæ constitutionem, nemini, credo, obscurum vide ri potest, nisi forte aliquis sit, qui existimet, domum aliquam carentem trabibus & columnis, in aëre ædificatam, sine fundamento subsistere posse. Liquebat autem eloquentiæ offici um præcipuum, si non planè maximum in eo situm esse, vt eorum, quæ dicenda suscipiuntur, auditori relinquat intellectum quam maximè bonum, clarum & dilucidum. Ad hunc nempe finem omnis ἐπωσία potissimum spectat, & frustrâ laborat orator in reliquis omnibus, si nihil eorum, de quibus fidem facere vult, recte & vt oportet, intelligatur. At verò impossibile est, talem intellectum vlla alia ratione gigni, nisi bona dicendi ratione, per quam animus in rerum cognitionem quocunque modo insinuantur, & citra vllam erroris offenditionem, tutò immittitur. Hæc autem bona dicendi ratio, si queratur, quibus constet fundamentis, non erunt vlla alia, nisi sermonis proprietas, cuius architectrix Grammatica est, & rerum perspicuitas, cuius directricem & effectricem ponimus Dialecticam. Atqui duo illa, sermonis nimirùm proprietas & rerum perspicuitas, inter se optimè correspondent, & ita in oratione coniuncta sunt, vt qui in illa negligens, in hac multò negligentior existat, & videri queat, cum illa huius quodammodo sit caussa, & ordinis respectu constructionem verborum, rerum dispositionem & compositionem præcedere oporteat. Vtrumque ergò velut basis & primaria substantia vniuersæ eloquentiæ, & neutrum illorum ab ea adeò diuersum & alienum, vt detracto externo habitu & vestitu, atq; vestitus ornamento splen didiori, totum eloquentiæ opus ad hæc duo, velut ad prima sua fundamenta & sustentacula relabatur, totumq; orationis corpus in ea rursus, tanquam in radices suas, resoluendum & digerendum relinquatur. Nam quicquid virium habet elo-



quentia per inuentionem & dispositionem, id, si primos ductus & lineamenta spectemus, totum Dialecticæ acceptum refert, aut certe commune cum ea habet: si quid formæ verborum per elocutionem, quod puram sermonis proprietatem referat, id uniuersum ad Grammaticam, à qua illud ipsum est mutuata, recidit.

Atqui verò, quoniam non omnes, qui oratione regendi & docendi sunt, eodem modo sese habeant, neq; ad rerum intelligentiam eiusdem sint facultatis & virium omnes, Rerum quoq; conditio & status per se diuersissimus, nec uno orationis habitu & filo omnia tractari & demonstrari atq; auditorum animis insinuari queant: Præterea homines à natura aurium **Tertius elo-** voluptati nonnihil indulgere multumq; affici soleant, suavi & **quentie gra-** concinniori orationis sono, alia eloquentiæ vis, eaq; magis **dus Rhetori-** propria offertur, quæq; ad formalem & specificam eius differ-  
**entiam constituendam proprius accedit.** Quia in parte ductu-  
**nis ornatu &** & auspicio Rheticæ artis, quam ut ministram regiam per copia.

omnia obsequientissimam habet & operi suo adhibet, iterum dignitatis suæ ornamenta clarius effert & simul maiore cum splendore illustrat. Etenim finem eloquentiæ, cuius gratia propriè in vsu est & à nobis studiose excolitur, si quis attentius considerat, ( licet vsus eius amplitudo non ita arctari debet, quin ybiq; & in omnibus materijs tractandis, & oratione explicandis locum habeat ) in hac tamen parte, quæ peculiarem speciem & tertium eloquentiæ gradum nobis constituit, parum aut non ita vulgari modo intenta esse videtur, circa ea, quæ sunt abstrusioris & paulò reconditoris disciplinæ, quæq; auribus popularibus minus expositæ, doctiorum duntaxat cognitioni in exercitationibus scholasticis reseruantur. Etenim in his quidem, cùm præter cognitionem nihil ferè sit, quod expectatur, Cognitio autem in veritatis luce maxime acquiescat: Et veritas, quia simplex aut uno, aut nullo modo vera sit, necessum habeat, proindeq; præter necessariam demonstrationem, qua hoc ita

## D E S C R I P T I O.

19

hoc ita esse, aut non esse, consentaneo modo probatur, nihil requirat, sit inde, ut nec illa præter iustum methodum & iustum demonstrationis explanationem ullum rhetorismum, aut quis alium artificiosum elocutionis ornatum magnoperè desiderent, eò quod res vel nimia subtilitate ab imperitorum intelligentia & sensu longius sint remotæ: vel etiam propter nimiam exilitatem suâ naturâ respuant spumantium verborum tumorem & magnificentiam, qua intempestiuè adhibita, lux veritatis magis obumbratur, quam illustratur. Quapropter assumpto ornatu splendidiori, manu ex latebris Philosophorum progredi in apertissimum Reipub. & communium doctrinarum campum, ibi; velut in medio posita, ad se in eloquium deposita, ea omnia, quæ publicè & priuatim agitari & tractari possunt, quæq; in communi hominum more & sermone versantur, minusq; à populari sensu ac indicio & consuetudine communis vitæ abhorrent. Circa hæc maxime intendit liberiori sermonis artificio, non ad inanem ostentationem, aut fucum deceptorum, quibus vitijs seipsam deformare minime studet, imò potius ut vel auribus nonnihil gratificetur, eas detraendo ac demulcendo sua uiori orationis temperamento, & simul etiam clariorem inducat intelligentiam eorum, quæ minus obtusa & explorata sunt, & quorum causa, persuasibili genere orationis, fides auditori est facienda, quæ siue certa, siue adhuc dubia sint & obscure lateant: singula tamen certum elocutionis modum & habitum postulant, qui, seruato decoro, à rebus ipsis atq; earum constitutione non dissentiat, ut finem, quem sibi propositum habet Rhetor, minori cum negocio & difficultate consequatur: Quod fieri non potest, nisi facultatem habuerit, perspicendi de proposito probabili ea omnia, quæ ad inducendam opinionem firmam auditorum animis sunt accommodata, adeò ut quod dicat Rhetor, certò statuat auditor sic ei sentiendum & faciendum esse re ipsa. Variat autem & inflebitur omnis dicendi peritia ad rerum naturam, de quibus in oratione



oratione est agendum & pertractandum: Quæ quoniam variæ  
 sint, & aliter in diuinis, aliter in humanis, aliter in Ecclesia, ali-  
 ter in politia trahantur in considerationem, de singulis aptè &  
 decenter & quemadmodum oportet, dicere, nimis & perquā  
 operosum est, quin & diuinioris cuiusdam virtutis atq; abso-  
 lutionis doctrinæ exemplum, imaginemq; presupponit, atque  
 hoc ipso nomine ad summum eloquitiæ gradum referendum,  
 vt postmodum disturi sumus. Illa autem, quæcunq; artis Rhei-  
 toricæ Instrumento tractabilia sunt, in eo conueniunt, quod  
 veri & verisimilis cuiusdam considerationem de se admittant,  
 & de quibus probatio aliqua artificiosa institui solet & potest,  
 argumentis quibusdam consentaneis & ad persuadendum idoneis: Neq; quenquam putemus adeò stolidum & mentis ex-  
 pertem, vt de nihilo velut doceri, aut ijs etiam de rebus, qua-  
 rum nulla omnino species veri extet, aut aliqua saltem ad ve-  
 ritatem, probabilis ratio, cùm ad veritatem homines satis  
 idonei nati sint, eantiq; vt plurimum consequi studeant, si non  
 exacta per omnia scientia, probabili tamen coniectura: Vndè  
 Rheticæ artis vis, quemadmodum in eo posita est, vt possit  
 perspicere, quæ de omni re data, credibilia sunt: ita subiectum  
 eius dicimus, materiam quamcunq; seu ciuilem, seu Ecclesi-  
 sticam, (loquimur enim nūc pro statu nostrorum temporum)  
 Materiam, inquam, omnem, quæ ob dubiam & ratione con-  
 tingentiæ minus exploratam veritatem in disceptationem ca-  
 dit, de qua persuasibiliter rationibus, signis & argumentis, cùm  
 necessariò, tūm probabiliter veris, fides auditori est facienda,  
 Quæ materia, licet indefinitæ sit potentia & ad res numerò in-  
 finitas, atq; adeò ad omnia caussarum genera extendi queat:  
 Attamen argumenta, quibus præcipue persuasionem fieri ne-  
 cessè est, quoniam ad tria potissimum diriguntur, Rhetori in  
 primis spectanda, artifices, vt rei difficultatem cōpendio quo-  
 dan si blemarent, ad tria etiam caussarum genera vniuersam  
 dicendi rationem astrinxerunt. Nam quicquid rerum est, de  
 quo, in



quo, in coetu hominum, pro communi vitæ consuetudine dicendum est, id ferè eiusmodi est, & eò spectat, vt aut de utili, aut de iusto, aut de honesto, aut quæ his ipsis in contrarium sensum sigillatim opponuntur, quæstione oblata, intentionem patrit: Vnde quæ sunt utilia vel inutilia, de ijs suadendo & dissuadendo consultat, & quid ex ysu sit in consilijs & senatu deliberat, vnde genus Deliberatiuum nuncupatur: Si quæ iusta sunt vel iniusta, de ijs apud iudicem accusando & defendendo differit, & de iure contestatur, vnde genus judiciale est denominatum: Si quæ honesta sunt aut turpia, de ijs laudando vel vituperando pro concione declanitat, vnde genus caussæ demonstratiuum est dictum. In hoc triplici genere caussarum versatur omnis definita controuersia rerum ciuilium, quæ legibus & moribus & institutis virorum prudentium gubernantur, & oratione sunt explicandæ: Quarum ea est affinitas, respectu finium (ipius nimirum cognitionis & argumentorum, quorum caussa aguntur,) vt omnes præter cognitionem ad aliquam actionem vel tacite vel aperte sint directæ: Ea verò discrepantia, vt aut sub uno solùm genere vel de sola iusticia, in simplici judiciali, vel de sola honestate in simplici demonstratiuo, vel de sola utilitate in simplici deliberatiuo. Et de his singulis in contrario sensu itidem seorsim & diuisim orationem determinent & absolvant: Aut ita in partem utramq; in unum coenant & simul coincidunt, vt ex harum commixtura triplici quasi fune colligata, finiatur oratio. In Ecclesiastico statu, ybi de rebus & virtutibus spiritualibus, quæq; supra naturæ conditæ facultatem sunt positæ, de Deo nimirum, de verò eius cultu, de fide, spe, charitate vera & viuida erga Deum atq; proximum agitur, et si alia sapientia & prudentia, quæ linguae plectrum regat, opus est, quamq; à Spiritu sancto informari oportet: Tamen in Ecclesia Christi, quatenus illa cœu membrum & corpus politicæ administrationis, legum humanaarum vim & reliquias mundi commoditates sustinere cogitatur:

D

tur:



tur: Et homines ipsi, quamdiu in hoc terreno corporis doni-  
cilio inhabitant, non aliter ad spiritualem diuinorum rerum  
scientiam & cognitionem aspirare valeant, quam humano mo-  
re & consuetudine, per auditum & prædicatum verbi: Ipsum  
præterea diuinum sermonem, in quo vis immensa diuinæ  
sapientiæ abscondita latet, mirabili rerum visibilium & invisibili-  
um temperamento in hunc usum diuinitus conformatum es-  
se, negari non possit: Finis deniq; omnium, quorum causa in  
conuentibus Ecclesiasticis docendi sunt, sit cognitio & actio,  
pro eo, quod vitam instruunt, ut D E O & hominibus sit pro-  
bata, & eorum quæ nondum sunt & apparent firmissimam in-  
ducat persuasionem: Facile hinc patet, non minus ad Eccle-  
siastica, quam politica negotia utiliter & cum fructu tractanda  
atq; oratione persequenda, pertinere & adliberi posse, triplex  
illud, secundum tria prædicta caussarum genera, dicendi artifi-  
cium, si modò caute & circumspetè obseruetur, ne diuersa  
doctrinarum genera promiscuè confundantur, sed unumquodque,  
qualiter est, intra limites suos explicetur, & vitæ hominum  
rectè accommodetur, iuxta propriissimas rationes, eaq; oratio-  
nis forma & habitu, quam artis Rhetorice instrumento adhi-  
beri conuenit. In triusq; generis rebus & negotijs tractan-  
dis & oratione explicandis magna attentione & vigilancia o-  
pus est, vt inueniantur primùm præcipua capita & capitum  
argumenta, quæ ipsi rei, de qua dicendum est, propria sint &  
cognata & maximè vernacula, quæq; ipsum negotij statum  
continent, & in quibus ipsa orationis compositio velut acqui-  
escat & tota inuitatur. Hæc aliter in Ecclesia suppeditat ver-  
bum D E I, cuius præscriptum sequi vnicè oportet, nec unquam  
admittendum, quod ab eius analogia recedat: Ideoq; semper  
& subinde ad id respiciendum est, tanquam ad lucernam, in  
umbra & caliginoso loco nobis prælucentem. In Politia  
aliter ista suppeditat prudentia civilis, quæ est omnium actio-  
num & negotiorum humanorum rectrix & iudicatrix: Ideoq;  
cauens



cauendum, ne quid proponatur, vel ad rei constitutionem assumatur, quod à ratione, à legibus, à moribus & ab institutis, à viris prudentissimis in Repub. constitutis & approbatis, pugnare videatur. Cognitis capitibus & partibus, in quas controuersæ rei causæ diuidua est, ijsq; inuentis, quæ propositione & statum rei, cuiusq; partis, maximè firmant & stabiliunt, deinceps de dispositione videndum erit, vt certò ordine partes orationis disponantur, & singula membra in singulis partibus momento quodam dispensentur, & in vnum corpus orationis rite coagententur: Neq; parum resert, exordiorum, narrationum, confirmationum & perorationum aptam nouisse compositionem: Neq; quicquam meo quidem iudicio est, quod plus conferat ad rerum perspicuitatem, quam in harum partiū distributione (quandoquidem rebus omnibus non ex æquo & pari modo competunt) obseruare, quo cum iudicio & consilio sint applicandæ, quodq; in ijs singulis maximè deceat, quæ argumentorum & enthymematum conclusiones, quæ explicationum, quæ locorum communium, quæ affectuum tractandorum rationes, quæ aliarum argumentationum & amplificationum schemata, in ijs locum habeant, per omnes artus & membrorum distinctiones. Postrema cura cuius nos Rhetorica admonet, versatur etiam in ijs, quæ ad formam seu figuram orationis expoliendam & locupletius ornandam faciunt & conducunt. Etenim Rhetor non tantum, quid dicat, secum deliberat, sed etiam quomodo & quibus verbis: vnde quæ elocutionis sunt, eorum quoq; in primis rationem habet, vt, quæ bene inuenta & disposita sunt, non tantum bene vestiat oratione, sed omni etiam genere ornamentorum pulchrius exornet: Quia in re præcipua Rheticæ vis dominatur: Non enim simplici ieuno, & macilento genere sermonis est contenta, sed foecundo, vbere, copioso & ad ornatum composito potissimum delectatur: Verbis vitetur non tantum proprijs, geniis & communi loquendi ratione iunctis: verum etiam

D 2

mutuo



mutuò desumptis ex vicino & arte quasi nouatis & transfor-  
matis, quæq; rem veluti similitudine quadam pingunt & signi-  
ficantius ostendunt, ipsamq; rei vim & intelligentiam maiori  
emphasi ac luce extollunt atq; illustrant. Genere elocutionis  
non vulgari & plebeio: sed quod vim quandam habeat & effi-  
catiam ad delestantum, ornandum, augendum & locupletan-  
dum rerum & verborum numerum & naturam, ijsq; figuris &  
ornamentis, quæ gestus, & motus & viuos quasi colores orationi  
inducunt & incrementum multis amplificandi modis  
addunt. In compositione sententiarum efficit, vt hyperba-  
tis deuitatis, asperoq; & confragoso verborum concursu soli-  
citate declinato, non tantum membra ritè cohærent & æquabili-  
ter inter se distent, iustoq; ordine suis clausulis & periodis  
veluti vinculis quibusdam aptè & concinnè deuincentur: Sed  
etiam accurate obseruat, quo decore & ornatu membra singu-  
la sint amplificanda, vt pleniore sono periodum absoluant &  
ad aurium sensum, numerosus explendunt, oratio non sit in-  
iucunda. Atq; hæc omnia artis quidem Rhetorice admini-  
culo, vt dictum est, efficit eloquentia, quamobrem etiam arctissimo  
necessitudinis vinculo & scđere inuicem copulantur,  
nec obstat, quòd Rhetorica speciatim sic dicta, non tam neces-  
sitatis, quam inanis ostentationis caussa, aliquibus inuenta vi-  
deri poterat, quinetiam indigna, quæ artis nomen tueatur: si  
quidem impossibile sit, vt varia rerum multitudo, varij item  
negociorum casus, qui tantum non infiniti sunt, & dicendi  
materiam subinde variabilem præbent, artis perpendiculo in-  
tegrè & ad plenum dimensurari queat. Accedit, quòd quæ à  
Rhetore tractantur, pleraq; eiusmodi sint, de quibus auditor  
dubitare soleat, & opinionem habere aut falsam, aut certè ob-  
scuram, & quarum nec Rhetor ipse scientiam habeat perfe-  
ctam, ob rerum exitum incertum & non vndiquaq; infallibili-  
lem: Et hoc nomine, certa artis mensura & regula, quæ firma  
sit & constans vt concludatur ac circumscribatur, fieri non  
possit.



possit: Atq; idcirco quasi nullius propè usus atq; utilitatis in docendo & dicendo, argumentando obijci non immerito poterat, cùm vel ipsa natura doceat homines certum eloquendi modum, qui propè communis sit omniū, quemq; nos omnes sequi oporteat, qui cupimus in studio eloquentiæ versari non planè infeliciter. Sed demus sanè hoc, in tanta hominum multitudine non facile monstrari posse, quem tantæ tarditatis, hæsitanteriæ, & stuporis natura damnarit, vt alienus ab omni humanitate prorsus ignoret, qua ratione sensum animi exprimat, quidq; primò quid secundo loco proferendum, quò possit intelligi, quali item artificio vtendum, vt quod velit dicendo consequatur. Et porrò quis est, qui cùm opus sit blandiri nesciat, qui suppliciter insinuando se vel commendare vel excusare, aduersarium minaciter terrere, rem gestam exponere, id quod intenditur, confirmare, quod contrà dicitur refellere, quiq; ad extremum deprecari aliquid & conqueri, si postulet necessitas, non plane possit? Qua etiam occasione factum est, vt hac naturali dicendi facultate aliqui præstantioris naturæ & ingenij homines excitati, id tandem diligentí rerum obseruatione & imitatione consecuti sunt, vt quorum caussa hodiè eloquentia potissimum commendatur, nihil eorum ad summani laudem & admirationem in ijs ipsis fuerit desideratum, vbi contrà plurimi eorum, qui artem & studium artis Rheticæ impensis excoluerunt & tractarunt, multò aridores, non unquā multò etiam ineptiores ad dicendum inveniuntur, quam ut vix mediocrem nedum perfectam eloquentiæ laudem ascribere sibi potuerint. Hic ne quis forte offendat, & de huius artis præceptionibus quicquam statuat illiberalius, quam oporreat & vtile sit, non erit alienum à proposito, harum obiectionū instantijs iustum opponere prius responcionem, quam ut reliqua, quæ in summo eloquentiæ gradu sunt consideranda, persequamur. Ac ne cauillatori locus detur, ambigua vocabuli significatio tollenda est, quæ sub uno nomine diuersam quandoq; parit sentiam.



## ELOQVENTIAE

tentiam artis vocabulum, ut in scholis accipi & usurpari solet, ad ipsam cuiusq; rei scientiam: alias vero modum duntaxat consequendi scientiam denotat ac designat. Differre autem scientiam & modum sciendi, negauerit nemo, nisi forte is, qui renit aliquam ab instrumento, quo tractari debet, diuersam esse negauerit. Etsi vero discriminis respectu dubitari poterat, utrum ex arte scientia, an vero ex scientia artis constitutio nata fuerit & producta: Tamen ad prima scientiarum principia & fontes, ex quibus paulatim deriuari coeperunt, attendenti, facilis erit dijudicatio, scientiam naturam priorem & antiquorem esse arte, cum haec nihil aliud sit, quam ipsius scientiae effectus quidam, eiusq; expressa & adumbrata imago. Vnde consequens est, tot dici ac numerari posse artes, quot rerum scientiae, in quantum nimis res, que cognosci debent, participes fuerint methodi cuiusdam, monstrantis viam aliquam & rationem perueniendi ad certam & infallibilem scientiam eiusdem rei, de qua secundum natu-ram aliqua habetur notitia. Atque hoc sensu, duplificem rerum scientiam inferre licet, ut alia sit naturalis, alia artificialis: illius a natura sunt homines capaces: Hanc studio & industria con-sequi oportet, ob malorem veritatis & certitudinis in agendo & operando constantiam. Genera porrò scientiarum, quamvis numero plurima & varia existant, iuxta varias rerum natu-ras, quae vel in actione, vel in effectione, vel in contemplatione solùm versantur: Quotquot tamen sunt, sua capiunt primor-dia ex principijs naturam notis, atque iisdem finiuntur. Scientia enim in ijs tantummodo locum habet, quorum causae & ef-fectus considerari possunt, quaeque certa ratione & ordine percipiuntur. Utrumque hoc discursu mentis fieri necesse est, per operandi modum, qui inchoatur sensu & perficitur mente: si-quidem mens ratione extremonrum terminorum omnis vera principium est & finis. Nulla igitur praeter illam verbi Dei saluificam, scientia erit, cuius non homines a natura aliquo modo sunt participes, propter illam naturalem mentis & vo-luntatis



tatis facultatem , qua apti sunt ad agendum, eligendum & cognoscendū ea animorum propensione, vt turpius ferē nihil ducent, quām errare & decipi : nihil autem pulchriūs, quām excellere & eminere in actione virtutum & veritatis cognitione. Atque hoc cognoscendi desiderio aliqui impulsi, planè admirabiles extiterunt in rimandis rerum naturis : - Eorum quoque plurimi naturæ ductum sequentes & naturalium causarum principijs insistentes, eosque progressi sunt, vi mentis *παρακριτικῆς* καὶ *προσεκτικῆς*, vt diligentí obseruatione eorum, quæ bene ac secūs fierent, tandem artis compositionem adinuenerint, id est, in certam rationem ac viam redigerint ea omnia, quæ scientiæ vim & usum æquarent, & quodammodo delinearent, certisque præceptorum limitibus circumscriberent, vt ob oculos esset perpetua rectitudinis norma, quæ discerneret recta à mendosis, vera à falsis, quamq; tutò sequemur in tractandis disciplinis ad veram scientiam, verumq; scientiæ usum rectius consequendum. Haud dissimili modo Rhetorica, quæ benè dicendi scientia est dicta, ortus sui initium & progressum, atq; adeò perfectionem suam est sortita, quandò nimirū ex natura, cuius æmula & imitatrix est, paulatim produci & propagari, humanisq; usibus applicari cœpit : Et quidem eò magis, quòd una sit ex organicis, communiter inseruentibus omnibus alijs artibus, & quarum omnes ipso communi usu sunt quodammodo participes. Neq; omnino negari potest, maxima huius artis fundamenta in natura esse posita, cum plurimi naturali facundia multum polleant, idq; naturali saltem via & ratione præstent, quod ipsis artificibus sæpenumerò denegatum esse compertum est. Atq; vt illos prætermittamus, qui ex quotidiana loquacitate plus satis sunt dicares, & ad garritum habiles, quām multi ex illiteratis, aut si literarum non sunt planè rudes & ignari, in huius tamen artis cognitione minus versati reperiuntur, qui linguae nobilitate, vocis bonitate, orisq; & vultus compositione, mentis quoque & affectuum



affectuum inclinatione, maximam dicendi vim, cū magna audiōrum gratia & voluptate afferant, copiosa verborum affluentia, orationisq; luxurie, eām quoquo modo ad sui ipsius admirationem & beneplacitum, ostentantes: Quibus, vt memoria firma, ingenium sagax, motus animorum celeres detrahi non possunt: ita porrò quoq; ad excogitandum sunt acuti, ad explicandum aliquid & ornādum vberes, ad persuadendum faciles, ad statum controversiae vrgendum pertinaces, ad firmamenta eaūsē propugnanda solertes, ad motus animorū commouendos, excitandos, occupandos, superandosq; efficaces: Deniq; etiam in continuanda orationis seriē, partibusq; orationis rite agglutinandis, ipsisq; rebus aptè exaggerandis, iustis verborum luminibus & sententiarum amplificationibus, non plane inepti & insulsi. Atq; his naturæ dotibus instructi, quid mirū, si posteaquā vsu exercitationeq; longiori iam cōfirmatiores facti, ea opera faciant, quæ sunt artificum propria, aut similia, aut etiam multò prestantiora. Negari sanè non potest, tales quosdam in communi vita, ad vsu Reipub. hinc indè existere, & qui in ope-  
 re declamatorio diu multumq; iātati, magnam facundiæ laudem reportent, quiq; hoc ipsum, quod dicēdi facilitate possunt, solum ad natura bonitatem referre cogātur, & hinc manifesto concludi, tantum effici ipsius naturæ vi & beneficio, crebra dicendi assuefactione & vsu excitata, quantum arte, aut vla artis præceptione vix effici potest. Af rursus manifesta experientia liquidum est & longè clarissimum, ex parte hominum & quidem eorum, qui sermonis facultate prædicti sunt, millesima & vltrā, vix ynum reperiri, quem ita clementer natura suis ditas-  
 set muneribus; aut si quæ forsitan donauerit, quotquot tamen inueniuntur, qui ea ipsa, propriā sua industriā & conuenienti exercitationis vsu subindè acuendo exuscident: Quot verò eorum, qui quæ vsus assiduitate & frequentia, quoquo modo cō-  
 firmata & perpolita sunt, ea vsibus humanis ita accommodent,  
 vt simul quomodo omnīs errandi occasio facile vitari ac decli-  
 nari

nari queat, benè recteque perspectum habeant. Quibus de causis factum est, quoniam numero pauci, qui tantis naturæ bonis, iam supra commemoratis, excellerent, multò verò pauciores, qui insita bona & reclusam naturæ vim, crebris exercitijs aperirent & excoherent: Omnia verò paucissimi, qui dicendi celeritatem, quam assuefactione & habitu sibi comparassent, ea fide & religione in tractatione negotiorum amplexarentur, ut non subinde offendarent, & præter viam (ut dicitur) current: Authores & scriptores artis, ut in commune omnibus consulerent, propositis exemplis benè maleque dicentium & vitijs, virtutibusque singulorum diligenter obseruat, & inuicem collatis, tandem arripuerunt occasionem condendi præceptiones, velut leges quasdam, quibus ea notarent ac delinearent, quæ ad dicendi artificium rectius imitandum & facilius obtinendum, maximè conducerent. Harum legum & præceptionum Systhemata uniuersum, usitato nomine artis appellatur, quod nimirum arctius & districtius aliquantò comprehendat, quæ ad benè dicendi scientiam pertinent & requiruntur. Eius artis usus & utilitas est, non tantum regere artifices, quod melius & expeditius id quod propositum habent, oratione persequantur, sed multò magis ut eos adiuuet, qui minus sunt exercitati, quiq; artifici opera imitari student. Tradit enim illa viam ac rationem certam, non solum patefaciendi & ordine explicandi res nostras: verum etiam ut in legendis aliorum orationibus controversiasque, longioribus iudicandis, minori cum negocio atque periculo sensus in ipsis versari queamus, unoque, velut intuitu perlustrare, animoque complecti quaslibet res & controversias grauiores, seriè partium, carumque, interuallis & dicentium consilijs recte ostensis & declaratis. Ac licet tanta sit artis Rhetoricae cognatio & affinitas cum arte Grammatica, eiusque sorore Dialectica, ut qui harum usum bene nouerit, ei, iuxta veterum Philosophorum contentionem, superuacanea dici posset Rhetorica, eoque illarum virtutem & efficacia idem propè effici ac præstari contingat, quod huius

E

artis



artis officium esse aut videri poterat: Tamen si respicimus ad proprietates, quæ illarum cuiq; competunt & propriæ sunt, planum sit, diuersum ac segregatum quiddā ab alijs hanc sibi vendicare, quodq; in illa cognatione, quia cæteris æquipollit & unita est, solum ad se transfert, cum propter modum eloquendi peculiarem, tūm propter materiā & rerum genera, ex quib; oratio Rhetorica fluit, & de quibus auditori est facienda fides. Patet hinc similiter, artis nomine haudquaquam defraudari debere, eo ipso, quod omnia, quæ ad oratoriam scientiam pertinent, non plenissimè tractet ac præceptis suis complectatur. Fieri sane non potest, ut oratoria, quæ pro maxima sui parte versatur circa res, quæ sunt, facultatis ciuilis propemodum infinitæ, atq; ob id scientiæ alicuius in determinata, quæq; ob variabilem personarum atq; negotiorum vim, ratione circumstantiarum, certis ac definitis præceptorum legibus includi ac circumscribi nequit. Rhetoricae arti in solidum & per omnia plenissimè subdatur: Neq; est ut aliquis statuat, ob hunc finem potissimum ab artificibus conscriptam & traditam esse, ut videlicet efficiat eloquentes & oratores omnibus numeris perfectos, multò minus ut omnium actionum & cœuentuum humanorum exactissimam rationem reddat, præscribat ac præcisè monstret, artisq; vinculis comprehensam, sub uno genere scientiæ ad cognoscendum & imitandum explicatè proponat ac definiat: sed potius quæ ex vulgari vsu & consuetudine quodammodo trita, & diuturna exercitatione iam multoties confirmata, omniumque opinione de ratione dicendi recte iudicantium approbata sunt, ea iuxta illam viam ac rationem, quam natura docet, sub aliqua religione certarum præceptionum in ordinem redacta & coarctata, velut in tabella spectanda proponeret, ut eorum, quæ in quotidiano vsu dicendi versantur & tractantur, præformata quedam esset adumbratio, ad cuius delineationem exempla similia ex ijs quæ dicenda nobis occurrunt, quisque effingere & informare diseat.

Itaq;



## D E S C R I P T I O.

31

Istaque Rhetorica, quæ artem constituit, nihil aliud efficit, nisi  
 vt vagabundam & erroneam in dicendo libertatem intra certas  
 quasdam metas restringat, & confusanciam eloquendi ratio-  
 nem tollat: tūm etiam ut oratori futuro modum ostendat, quo  
 per imitationem ad verum eloquentiæ usum & habitum facili-  
 orи compendio & methodo perueniat. Cognitis enim præ-  
 ceptis, quæ in arte traduntur, facilius est videre, quæ & qualis  
 sit orationis *ōrōvōmīa*, quæ dispositio, quæ forma, quis rerum  
 ordo, quæ partium series, membrorum cohærentia, quæ deniq;  
 mens & consilium dicentis. Harum rerum usum monstrant  
 ac dirigunt præcepta Rhetorica, quorum ea est constitutio, vt  
 non modo artis, verum etiam scientiæ titulo haud immerito  
 insigniri & honestari queant: Nam & suas quasdam de-  
 monstrationes habent ratione methodi, qua ab autoribus con-  
 stituti, tractari & explicari solent, vt hoc illorum cum institu-  
 tiones, tūm partitiones docent & ostendunt. Ac si quis totam  
 artis constitutionem summatis perstringendo, uno sub aspe-  
 ctu oculos ponere velit, quicquid in varieta hac arte tradūt  
 & proponunt, referunt generali diuisione ad inuentionem &  
 elocutionem: referunt subdiuisione ad quinq; partitum orato-  
 ris officium: referunt ad tria potissimum genera ciuilium cau-  
 sarum, quarum usus aliquis est in curia & senatu, in foro &  
 iudicijs, & breuiter, in omnibus congressionibus vbiuis loco-  
 rum tūm literatis, tūm popularibus: referunt ad certas par-  
 tium orationis distributiones, ad certas quæstionum, statu-  
 um, & capitum partitiones, ad certas in quolibet statu, in-  
 ueniendorum argumentorum locos: Denique ad certas  
 formas, figuras & genera dicendi: in quibus omnibus &  
 singulis recte definiendis & diuidendis, atque ordine expli-  
 candis, tota artis Rhetorica compositio consistit & con-  
 sumitur. Non est autem exigua pars scientiæ, scire & in-  
 telligere partes & capita doctrinæ eius, quæ artem  
 de re aliqua facit & constituit, scire partium definitiones

E 2

&amp; di-



& diuisioves, scire generum & formarum & earundem diuisionum exempla & exemplorum demonstrationes. Hanc igitur artis Rhetoricæ scientiā sequimur vt ducem, non sanè vt ipsam eloquentiam, quemadmodum antè dictum est, efficiat: sed potius vt viam monstret recte versandi in eloquentiæ studio: non vt dicendi celeritatem & alia ad loquendi elegantiam profuturā, naturæ inserat, sed insitam inueniendi & dicendi facultateni adiuuet, magisq; acuat atq; exuscitet: non vt ducat ad rerum & doctrinarum cognitionem, sed digitum duntaxat ad fontes & rerum capita intendat, vt locis statuum ostensis, habeamus certa domicilia, ex quibus argumenta expedita, quæ cauſæ conferunt præsenti, depromamus: Non vt perfectani eloquendi scientiam discentibus suggerat, sed potius certam methodum præparet ac commonstreret, quomodo in legendis & iudicandis excellentium oratorum orationibus, oratores fieri oporteat, vt illorum exemplo similia effingere discant, & simul obseruare rerum tractandarum modum & momenta, quo suo quidq; loco, tempore, & opportunitate recte conformatur ac iusto ordine dispensetur. Licet enim hoc perpetuò præstet, ne temere in dicendo eamus & à fine proposito aberremus: Tamen non ita frenum iniicit, vt præscriptas leges nunquam transfilire aut imitare liceat: imò dicentis arbitrio persæpè relinquit, vt ardinis dispositionem cum delectu adhibeat, quæ pro loci & temporis

*Quartus eloquentiæ gra-* ratione & statu negotiorum tractationi maximè conduceat. *dus oratorius,* Qua in re decorum vbiq; obseruare, non artis: Sed prudentiæ in ratione cōmeratas species, aliam adhuc restare eloquentiæ vim, eamq; veformandi serre heroicam, & illorum omnium, quæ sunt inferioris gradus, monem audi- amplitudinis suæ complexu longè exuperantissimam. Nam torum animis præter insignem naturæ vim & potentiam, præter frequentem aptè & cum exercitationis visum, præter accuratum & solertissimum iniquadam actionis studium, quorum omnium & in alijs disciplinis ne- nis grauitate cessaria est requisitio & maxima utilitas non eas modò artes, & dignitate. quarum



quarum iam suprà facta est mentio, logicas nimirum, quæ cùmunes sunt, & generaliter omnibus reliquarum artium & disciplinarum studijs inferiunt, ministras & comites habet: verum etiam plurimarum & maximarum rerum, virtutum & doctrinarum cognitionem haud vulgarem, cum ijs artibus in quibus illæ ordinariè traduntur, & simul cum his etiam Prudentiam & Sapientiam velut duces atq; intimos consiliarios, à quib. instruatur ad bene dicendi opus absoluendum, adsciscit. Quo nomine ad maximam sui ipsius laudem atq; existimationem summo cum dignitatis suæ splendore & incremento iterū vim & maiestatem suam amplificat, & quantum excellat inter omnes virtutes & artes diuinitùs hñmani generi concessas facile hinc declaratur, cùm ex tot tantisq; virtutibus & summoperè in vita necessarijs artibus, suam habeat existentiam: Etenim in quo singulæ laborant per rationis intellectum, id vniuersum quodammodo ad solam se rapit & traducit eloquentia, ob quādam rationis & orationis (absit calumnia verbo) æquiparantiā. Nam si quid rerum est, quod mente ac rationis discursu concipi potest, id ipsum, quomodo apto & conuenienti genere orationis exprimat & commodè ad alios transferat, suæ fidei ac facultati committendum postulat eloquentia: vnde cōsequens est vim & usum eloquentiae tām latè patere & extendi, quām latè patet & extenditur ipsa vis mentis & rationis usus. Proinde nulla vera eloquentia esse potest, vbi cordis & linguae fuerit dissonantia, id est, sermo sine mente & mentis habitu in corde existente, temerè effusus: Neq; enim verborum ut stulti putant, sed mentis vis est elocutio, siquidē lingua, os, vultus, & omnia in oratore pro habitu mentis, mouentur. Itaq; multum refert, qua quis mente sit prædictus, qui ad dicendum progreditur. Mirum in modum discrepare videm us in rostris & suggestibus perorantes, nec pari felicitate, motu, & efficacia efficere apud auditores, id quod instituunt: Docet alius, vt neq; mouendo neq; delectando efficiat, alius præstat utrumq;, alius languenti,



alius spiranti animi affectu animos incitat, alius cum fastidio,  
 alius cum voluptate, alius cum admiratione auditores detinet.  
 Sed vnde ista discrepantia, nisi quod oratio suas vires trahat à  
 luce ac constitutione mentis ut qualis hæc est, efficax aut inef-  
 ficax, talis & illa sit? vnde est quoq; quod recte dicatur oratio,  
 nihil esse aliud, quam ipsius animi effluxus quidam & foris ex-  
 pressa eius imago, in qua cum energia & facultate sua relucet.  
 Differit philosophus, aut quisquam alius huius seculi vir eloquens,  
 de pietate, de religione, de prouidentia Dei, eiusq; mirabili sapientia & potentia: contra verò Theologus Ecclesiæ Christi &  
 Spiritus vitæ minister, de casibus humanis, rebus ciuilibus, & de  
 ijs quæ in politica rerum gerendarum administratione versan-  
 tur, sed non utrobiq; eadem orationis vis, & facit uterq; frigi-  
 dé, nec minis inepit & intempestiuè nonunquam, quod alter,  
 ad quem cura & professio illarum rerum propriè pertinet, mul-  
 tò efficit dexterius, & maiore cum opportunitate, multoq; ef-  
 ficiatiuè, ardentiuè & vibrantiuè. Ita aliter afficit ciuiliter lo-  
 quens, aliter Moses de lege differens, aliter Paulus, cùm de Eu-  
 angelio gratiæ intonat, cuius verba, inenarrabili vi fauoris diuini,  
 in piorum pectora penetrant, virtute flammea: Caussa illius  
 diuersitatis, quænam, nisi diuersa rerum diuersarum cognitio.  
 Non enim eadem est ciuilium & spiritualium ratio, quæ, quo-  
 niam diuersimodè sub intellectum cadunt, & pectora informat,  
 fit etiam, ut diuersi & multiformes oratores progignantur & in  
 publicum prodeant: Nam ut flumina, soli, per quod decurrunt,  
 saporem & colorem ducunt: ita sermo aliam atq; aliam indo-  
 lem trahit, pro ut peccatum conformatum est eius, qui loquitur.  
 Cum igitur eloquentia tam naturæ quam doctrinarum adni-  
 nicula requirat, & à rerum cognitione, quæ mentem informat,  
 & clariuè illustrat, potissimum dependeat, non certè ad iustum  
 sui perfectionis laudem unquam illa aspirare poterit, neq; am-  
 plissimum illud, quod sibi sumit & vendicat dignitatis nomen,  
 recte tueri, nisi quoq; omnium earum rerum, quæ mente conci-

pi, &amp;



## D E S C R I P T I O .

35

pi, & oratione representari possunt & debent, in usum & utilitatem hominum, si non omissis modis perfectam, attamen non planè rudem & imperfectam sibi subiectam habuerit notitiam & scientiam. Horum autem, quæ ultra citroq; in communione hominum usu & sermone offeruntur, et si infinita varietas, tamen ut nunc est Reipub. in mundo status, res & negotia, de quibus aliqua requiritur notitia, quoniam duplices sunt generis, etiam ad duo summa genera scientiarum reuocari oportet, Philosophicum nimurum & Theologicum, secundum quod vita humana duplice opus habet regimine, quo regatur: quorum aliud politicum, aliud Ecclesiasticum est dictum: illud quæ praesentis seculi sunt, tractat, ad decus ciuilis iusticie: Hoc, quæ sunt alterius & futuræ vitae, ad decus tam huius ciuilis, quam spiritualis iusticie, propositis ijs, quæ ad veram animæ salutem creduntur. In utroq; sanè, suo quodam iure dominatur eloquentia. Nam in Ecclesia Dei, vbi gloria Christi & salus piorum promouenda est, nullum est aptius instrumentum, quo Spiritus sanctus suam administrationem exequitur: Et quidem diuina Maiestas, ut consciens suæ essentiae & voluntatis faciat homines terrenos, hoc medio omnibus temporibus vtitur: & quemadmodum ipsamet initio diuino quodam eloquio se manifestauit: ita deinceps & adhuc perpetuo ex hominibus sermone præditis, Doctores, & Consiliorum suorum administratores destituit. Fruitur sanè nunc Ecclesia sacrarum scriptarum thesauro, in quo reposita sunt omnia, quæ faciunt ad informationem fidei & æternæ salutis conseruationem: sed absque eloquentia, usus horum non satis in plano conspicuoque produci potest, ut omnibus innoteat. Neque enim muta scriptura idem eodem modo præstat, quod viua vox, licet significacione & compositione paris sint emolumenti. Oratio enim, quæ est vocalis animorum interpres, peculiarem vim atque energiam habet, qua se potentius in auditoris, quam scriptum in lectoris animum demittit: tum potissimum vbi

V O X



vox, ut proximum spirantis animi organum, gestus una & motus repræsentat. Vnde est, quod toties in Scripturis S. commone-  
 mur, non tam ad legendum, quam ad verbum Dei audiendū,  
 argūmento, plus efficacitatem in oratione diuinitus docti, quam  
 in simplici lectione, quantum uis suæ quoq; utilitatis apud lecto-  
 res sedulos & attentos, minimè sit expers. Esse autem multipli-  
 cē eloquentiæ usum in Ecclesia, probant non solum quotidiani  
 congressus Ecclesiastici, ubi populus de vera religione, de veris  
 cultibus, veræq; pietatis exercitijs, & de alijs rebus multis, maxi-  
 mis & utilibus, cum ad hanc vitam recte instituendam & agen-  
 dam, tum ad æternæ vitae beatitudinem consequendam, scitu  
 necessarijs, subinde docendus & commonefaciendus est: verū  
 etiam vniuersa S. Scripturæ pragmatæ, quantum in ea præsidij  
 & subsidij habeat, non obscurè ostendit. Illa siquidem, quoniam  
 primo intuitu plerisq; subobscura, nec satis aperta & clara vi-  
 detur, cum propter interiores & reconditiores arcanæ sapientie  
 thesauros, quibus refertissima est: tum etiam, quia maiorem ad  
 partem typica est, & Mosaicæ legis, ceremoniarum, rituum &  
 sacrificiorum mysticis in volucris contexta & ob-signata, multis  
 idcirco errori & offendiculo existit, caussamq; præbet multarū  
 contentionum, grauissiratumq; controvèrsiarum & discor-  
 diarum, quæ vniuersum Ecclesiæ statum sèpenerò infelici-  
 ter turbant & inquietum reddunt: Quib. omnib. dirimendis,  
 sedandis & tollendis, eloquentia egregiam nauat operā, suffulta  
 cognitione linguarum & artium & doctrinarum, quæ plurimū  
 ad S. Scripturæ veram interpretationem momenti afferunt, mul-  
 tumq; ad genuinum S. Scripturæ sensum eliciendum & con-  
 stanter propugnandum conducunt. IN statu politico, quis  
 dubitat, inter omnes virtutes, quibus ad sui conseruationem &  
 administrationem Respùb. & priuata hominum societas indi-  
 get, potiss. locum tenere eloquentiam: eamq; inter ea ornamen-  
 ta omnia, quibus genus hominum condecorari potest, pulcher-  
 rimū esse, longe q; præclariss. cum sit vnum illud, quo nō tan-  
 tum cæ-



tum cæteris animalibus, sed ipsis etiam hominibus in eo, quod nobis commune habent, maximè præcellimus & præstans. Nam primum ut ratio recta, ita diserta oratio maximam partem vitæ hominum regit: Et quemadmodum recta ratio leges præscribit, quæ ad honestum finem ducunt, & ad quas, cum priuata, tum publicæ res, atq; adeò communis Rerum publ. & ciuitatum status dirigi oportet: Ita oratio eloquens similitudinem quandam legis habet, in eo, quod auditoris mentem ad aliquem finem non tantum dirigit, sed etiam aliquo modo cogit & impellit ad agendum, quod vel honestum est, vel iustum, vel utile, & vel hæc omnia simul. Neq; non potest dici beatissima Resp. in qua ea est rerum constitutio, ut ad rationem & orationem omnia referantur. Hinc enim accidit, ut studium virtutis in ea maximè floreat & crescat, habito nimiri bonorum & malorum ciuium discrimine, ita ut iustis laudum præmijs ornentur boni, & qui in virtutum operib. excellunt: Mali vero & vitijs operam dantes, iustis reprehensionibus notati, tanquam atroces, immanesq; & Reipub. hostes, digna vitiorum vituperatione exagitentur & declarentur. Ad commodum porrò Reipub. tñendum & augend' im, quid magis confert, quam oratio prudens? quæ perinde est, ut medicamentum, quo ipsum Reipub. corpus, cum ab instantib. malis liberatur, & a futuris calamitatib. præseruatur: tum etiam ad ptesentes difficultates effugiendas confortatur, & ad absentes vtilitates captandas animatur. Deniq; in tota ciuili vitæ consuetudine & humanæ societatis commercio, atq; vniuerso humanorum negotiorum curiculo, quid magis usui & emolumento esse potest, quam oratio sapienter instituta? cuius maior persæpè vis est, quam ipsius legis, præsertim, si bonis morib. & vitæ honestati fuerit consona: Boni n. oratoris exemplo & vitæ honestate, homines plus quam illa alia re commercieri compertum est. Quantum igitur bonum sit eloquentia in communi vita, partim ex dictis patet, partim ex reliquis effectibus, quorum procreatrix esse solet, iudicatur. Etenim huius



vi à barbarie & morū feritate ad humanitatē homines facilius denocantur: Hac ipsa à malorum contagio & vitiorum inquinamento, ad virtutē & virtutis actionē inuitantur & extimulantur. Hac efficitur, vt pietati & innocentiae studeatur, Deo & hominib. quæ ipsis debentur, tribuantur, quæq; publicæ & priuatæ vtilitatis sunt, ea p̄monentur, vtq; in deliberationib. rerū maximarum non temerè & incōsultō aliquid fiat & suscipiat, Inq; grauib. controuersijs & difficilimis disceptationib. de multis ac varijs tam priuatatis quam publicis rerum humanarum & negotiorum ciuilium casibus, veritas & iusticia conseruetur, & cuiq; suum distribuatur ius, iudiciaq; recte exerceantur, ad tuendum decorum, seruandum & quum, vitandum iniquum, ad custodiendā dilectionem mutuam, ad cōmūnem societatem, vtq; ciues omnium ordinum, agros, possessiones, rerum vsum & fructum, iura, libertatem, & salutē suā tueantur, ipsamq; felicitatem, quæ legib. promittitur, consequantur, legum quoq; & magistratuū autoritas & iudiciorum seueritas in vigore maneat, Principum aulae & politiæ sua retineant ornamenta: & deniq; omnium ordinum & politicarum societatum status conseruetur pacatus, tranquillus & in columis. Taceo quid vtilitatis afferat in alijs viæ partib. & quæ cum scholastico literarum ocio sunt cōiuncte, inq; scholasticarum exercitationum vsum solūm versantur, vbi non raro de reb. ad pleniorē & vberiorē doctrinæ cognitionē, amplè & speciosè differendi dicendiq; offertur occasio. Atq; in his omnib. ritè pertractandis, eloquentia operā suam liberaliter desert, naturæ administrulis, artiumq; instrumentis & omnis generis doctrinarum præsidij exornata, armata, beneq; munita. Neq; fieri potest, vt eam, quam p̄mittere videtur, dicendi facultatem, de re qualibet proposita, copiosè, ornatè, sapienter & accommodate, modis omnib. perfectam sibi vendicet, nisi etiam præter ea, quæ iam diximus, naturæ, & artium & doctrinarum adiumenta, simul omnes res humanas, rerumq; naturas secretores, abditasq; hominum mentes, mores, & animorū motus;

præterea



## D E S C R I P T I O.

39

præterea legum & ciuilium institutorum, atq; adeò totius iuris  
 humani & diuini vim, cùm ex ipsa oculari plurimarum rerum  
 inspectione, ipsisq; variorum casuum experimentis proprijs: tū  
 ex veterū institutis, obseruationibusq; historiarum monumētis  
 consignatis, ad summam diligentiam ita perdidicerit, vt nihil in  
 natura, quod quidem mente & sensu intellectus comprehendendi  
 queat, esse videatur, cuius si non omnib. numeris absolutiss. me-  
 diocre tamen & suo modo perfectam habet scientiā, ex qua  
 demū omnis dicendi vis & ratio, tanquā ex diuite fonte, vber  
 rimè promanat. Cùm vero quicquid oratione oratoria ita ex-  
 primēdū suscipitur, vt vsib. humanis sit accōmodatū, dupli-  
 cī finiatur fine, vt videlicet auditor, vel in nuda rerum cognitione  
 acquiescat, vel præter hanc, simul ad aliquā actionem incitetur;  
 eloquentia, quo minus à scopo facile aberret ad deuiarū lustra,  
 dñas etiā præentes habet duætrices, omniumq; cogitationum  
 & consiliorum gubernatrices, Sapientiam & Prudentiam, duo  
 velut luminaria, quib. īdoles humanae intelligentiæ maxime il-  
 lustratur, quarum illa, vt omnia veritati sunt consona & conse-  
 tanea efficit, & in exploranda veritate rei naturam cōfusè per-  
 ceptam, eosq; dñavōia versat, quoad verissima à prima origine  
 vsq; & ab ipsis primis principiorum fontibus deductā, cuiusq;  
 rei scientia habeatur. Hæc vero, id est, Prudentia, cùm sit om-  
 nium virtutum caput & humanarum actionum directrix, in  
 res plena errorum & tumultuum sese demittit, quæq; ex vsu  
 sunt, tam priuatim quam publicè, ab benè beatèq; viuendum,  
 dispicit & cautè prouidet: tūm etiam in fortuitis casibus, re-  
 busq; incertioribus & obscurioribus, consilium agendo, bruta  
 zanimi parte, appetitu nimirūm interueniente & præsente, ita  
 exequitur, vt omnia virtuti & virtutis actioni respondeant.  
 Magna sunt in vtraq; ad benè dicendi scientiam reposita mo-  
 menta, si modò ad res, quæ sui sunt generis, rectè & cum  
 discrimine applicatæ fuerint, pro statu rerum in hoc mundo  
 dupli, Ciuali & Spirituali. Etenim alia sapientia & pru-  
 dentia opus est in Ecclesia Christianorum, in qua de noticia



veri Dei & iusticia fidei in Christum, ad ædificationem regni Christi modo spirituali tractatur. Vnde sicut causis & principijs constant supernaturalibus, ita quoq; impulsu & directione Spiritus S. omnia referunt ad verbum Dei, diuinitus patefactum, tanquam ad mensuram & regulam infallibilem, qua mensuren-  
tur & dirigantur omnia; quæ ad pietatem, veræq; fidei & religio-  
nis vsum exercitiumq; pertinent. Alia verò sapientia & pru-  
dentia opus est, qua vt solemus, in politica rerum humanarum  
& actionum ciuilium administratione ad humanæ societatis in  
his terris conseruationem, quæ sicut principia sua habent in na-  
tura, ex vi mentis naturali; ita naturæ limites non transgrediu-  
ntur, sed omnia referunt ad simplices, æquabiles & generales  $\pi\sigma\alpha$   
 $\lambda\mu\tau\delta\eta\varphi$  & prænotiones in animis ad creaturarum fines consigna-  
tas, vt sint reliquarum cogitationum, & actionum mensuræ ac  
regulæ, certiq; ad omnia indices. Siue igitur virtutes & habitus  
animi sint naturales, siue supernaturales: vtraq; tamen in suo ge-  
nere lucis instar est, rerum formas distinguens, obscurè latentia  
manifestans, & vnumiquodq; in suo genere & ordine, quale sit,  
signatè commonstrans. His, inquam, velut, duobus luminarijs  
præluerentib. & comitante reliqua administrantium famularū  
caterua, cum ijs adminiculis, quæ naturā & vel ipso visu sibi fa-  
miliariter coniuncta habet, tandem ad sublimem eloquentiæ ar-  
tem pleno gradu transcenditur, ex qua summa & consummata  
eius perfectio petenda est. A milissima sanè & magna corporis  
mole & vastitate expassissima, si membra & partes, quarū capax  
est, & ad perfectionem sui necessariò requirit, consideratur. Ve-  
runtamen in se considerata, vt est iam totum quoddam conti-  
nentiae illius perfectionis integrale, vna erit eademq; & quidem  
angusta facultas, quorsum cung; adhibetur. Nam vt muneris  
sui partib. fungatur præcipuis, quæ in illa perfectione tū nature,  
tū actioni eius competunt, & quibus omnis dicendi ratio ad  
maximam laudem perficitur, circā tria potiss. intendit, quorum  
præcipua vis in vniuersa eloquentiæ pragmatæ feliciter expe-  
djenda.



dienda. Primum est, ut id, de quo dicendū est, benē concipiatur mente: Alterum, ut verbis benē exprimatur: Tertium, ut ipsis auditoribus rectē conformetur & accōmodetur. In his omnib. maxima procluitas, si modo oratoris animus fuerit bonus, idēq; rerum iudex, arbiter, obseruator & spectator perspicax, minimeq; oscitans. Vndiq; n. iam antē iacta sunt fundamenta & parata media efficiendi expedita facilitate vnumquidq; quod sit optimum, & ex omni parte aptiss. suoq; loco conuenientiss. In hanc velut in vnum confluxum confluent & subsidunt virtutes omnes & doctrinæ, quæ alioquin aliarū artium propriæ sunt & communes, quodq; illæ seorsim in vsu particulari & proprio præstant, hæc in vniuerso genere sub vno habitu organico totū illud præstare videtur. Itaq; quicquid est, quod orationis instrumento quacunq; in re tractandum offertur, id ita explicat, vt verborum pprietas & elegantia cum rerum perspicuitate æquo certamine certent, ea dimensione & dispensationis temperie, vt in breuitate nihil deficiat, in copia nihil abundet, in acumine nihil sit obscurum, in ambiguitate nihil non pertractatum, in subtilitate nihil alienum, in perspicuitate nihil vulgare, sed omnia apta, conuenientia, præsentiq; materiæ, quantum potest fieri, maximè opportuna. Magna grauiter, parua moderatè, sublimia excelse, humilia remissè, exilia exiliter, vulgaria vulgariter, ita tamen ut mirè callida, ingeniosa & artificiosa sit in exornando & amplificando vnoquoq; iusta argumentorum, sententiarum & verborum electione, constructione, & dispositione, vt vbiq; seruetur decorum, apta cum grauitate & ornatus decole atque æquabili ornamentorum temperatura, vt nihil ingratum sit, nihil fastidiosum, nihil intempestivum & alienum, nihil quod aurium sensum delicatiorem offendat: sed ut omni ex parte habeat auditor, in quo plenè & tanquam per omnia sibi satisfactum sit, acquiescat. In extenuandis & exaggerandis rerum momentis & qualitatibus, artificio vtitur singulari, dū videt quæ acriùs vrgenda & oratione vehementius excitanda sint, quæ rursus oc-



cultanda, aut procul quasi ostendenda, quæ itē breuiter & velut  
in transcurso notanda & attingenda: quomodo item propositæ  
rerum formæ verbis, ceu viuis colorib. exprimendæ sint, vt de-  
pictæ, non narratæ, spectatæ non lectæ videantur, cum quadam in  
delectando, ornando & amplificando gratia, energæ & grauitate.  
In primis autem scit, vbi docendus auditor, vbi præparadus  
& conciliandus: vbi mouendus & concitandus: vbi trahendus,  
rapiendus & impellendus quoq; voluerit orator, ijs argu-  
mentis & verbotum vi, qua actionem reddunt vel sedatam, vel  
quasi turbulentam: vel quietam & modestam: vel etiam acrem, &  
quasi ipsius vultus maiestatem: Deniq; verò efficit, vt in tanta re-  
rum varietate & verborū copia, volubilis & flexibilis orationis  
forma, pportionabiliter congruat, secundum omnia dicendi ge-  
nera, omnes formas, & omnes formarum diuisiones, iustaq; me-  
thodo res & rerum membra, sententiae & sententiarum conse-  
cutiones, suis periodis, suis clausulis, suis ornametis, suo genere  
& pondere, & numero verborum oratorio, apte cohærent, ad  
efficiendum id, quod alias natura in homine, bona valetudine,  
bonaq; forma prædicto, requirere solet, vt potè, colore primò sa-  
num & dilucidum, post magnitudinem iustum & visita tam, mē-  
brorum deinceps atq; lineamentorum pulchritudinē ac venu-  
statem: præterea conuenientem in actionib. celeritatem & agili-  
tatem: tandem vt omnia sint cum virtutis atq; pietatis studio  
coniuncta, virtutis inquam veræ, non simulatae: & postremo, vt  
omnia ista conuenientiam habeant atq; decorum. Habetis  
nunc domini & studiosi & auditores opt. charissimiq;, integrā  
quasi definitionem, & vniuersam eloquentiæ, seu artis oratoria  
descriptionem, in qua natura, vis, dignitas, & usus eius in com-  
muni vita necessarius, sub uno genere definiti, per omnes partes  
& membra pleniss. expressa, uno velut aspectu visenda & vobis  
cognoscenda præbetur. Magnum vtiq; & propè maximum,  
omniq; admiratione digniss. opus, quod ab homine præstari  
potest: nec est ullum aliud, quo ipsa hominis dignitas magis il-  
lustrari queat. Cætera n. in homine, quantumvis excellentia, si-  
ne hoc



## D E S C R I P T I O.

43

tie hoc quodammodo brutescunt, aut certè tenuius subgliscunt,  
 collata ad hanc mirabilem orationis vim, qua omne totius na-  
 turæ spectaculum, qualiter animo, menteq; concipitur, per ora-  
 tionem, ceu viuam' quandam picturam in auditoris mentem &  
 animum, tanquam viuis verborum coloribus transfertur, tran-  
 scribiturq; : ita vt is qui audit sui, tui, verborumq; ac orationis  
 oblitus, animi sensu in ipsas per orationem res, totus transfe-  
 ratur transformeturq; : Quæ res vt aliquid in se diuinitatis ha-  
 bet: Ita quoq; propter incredibilem magnitudinem & difficul-  
 tam, à vulgari hominum sorte & conditione, longius dista-  
 re videtur. Quorsum ergo nostra hac de re paulò copiosior  
 tractatio & declaratio spectat? Primum quidem vt eloquenti-  
 am cognita eius origine, amplitudine & difficultate, sua ma-  
 gniudine metiri ac magnificere discamus, vtq; maiori studio  
 in ipsum amorem & admirationem rapiamur, ad obtinendum  
 id, quod cum summa eius laude est coniunctum: Quod equi-  
 dem nemo expetere, nedium consequi potest, nisi qui magnam  
 ingenij facultatem, perfectam doctrinam, longam exercitati-  
 onem, acerrimum iudicium & studium omnium artium & vir-  
 tutum, ad magnarum & difficilimarum caussarum tractatio-  
 nem in Ecclesia & politia attulerit: Deinde ne statim difficul-  
 tatis magnitudine terrefacti, tergeuersemur, tanquam minùs  
 apti & idonei ad hæc ipsa eloquentiæ studia colenda, sed quem-  
 admodum maximi & amplissimi est usus, ita plures & quasi  
 particulares modos & dicendi gradus, sive ambitu comprehen-  
 sos tenere, meminerimus, quorum singulis suo loco & tempore  
 in dicendo non contemnda laus & gloria debetur. Est ali-  
 quid sermone vti proprio & perspicuo: sed simul composite &  
 ornate dicere, & præterea prudenter, aptè & accommodatè cū  
 quadam actionis dignitate, de omni proposita materia, & quem  
 admodum postulat cuiusq; propositæ materiæ status, hoc opus  
 est omnium humanorum operum longè maximum & diffi-  
 cultimum.

Summum



Summum hoc eloquendi genus, eloquentia suo magisterio dicit quidem, sed ut reliqua suo cotubernio non excludat. Itaque siue in primis, siue in secundis, siue in tertii & ultimis subsistas, non minima laus ubique proposita est: Maior tamen ubi ad summa quis fuerit annixus. At quoniam omnia haec scire oratori non sufficit, nisi etiam ea omnia possit facere, posthac quoque de studio & modo consequendi eloquentiae habitum, si placuerit, & melores a Deo vires adepti erimus, nostram dabimus sententiam.

FINIS.



138694

x2428591

R

WDT





Nº 4097 \*

4031  
DE RE ORATO.  
RIA, ET RECTA ELO.  
QVENDI RATIONE,  
SERMO:

*Vniuersam Eloquentia descriptionem cōtinens,  
pro intelligenda eius vi & dignitate &  
usu, in communi vita necessario.*

M. Balthasar Leutinger,  
publicè proponente in Academia Fran-  
cofordiana ad Viadrum.



Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
<b>Farbkarte #13</b>																				
Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black												B.I.G.
																				

